

DE  
SACRAMENTO MATRIMONII.

TITULUS DECIMUS QUINTUS.

SUMMARIUM PRIMUM.

- 1 Matrimonium praecellit cuncta alia Sacramenta.
- 2 Auctores multi de hoc Sacramento scripserunt.
- 3 Parochus de jure est Minister Matrimonii.
- 4 Parochus proprie est Auctorizator et Testis.
- 5 Potest esse alius Sacerdos de facultate Parochi, vel Episcopi.
- 6 Matrimonium quid sit, et a quo institutum?
- 7 Matrimonium sine Parocho, et Testibus est Clandestinum.
- 8 Sine quibus nec valide, nec licite contrahi potest.
- 9 Matrimonium contractum in loco, ubi contrahentes reperiuntur animo non permanendi, non valet.
- 10 Parochus ruralis non est proprius Parochus pro illis, qui in Civitate habitant et ruri pro recreatione tantum.
- 11 Parochus proprius est sub quo contrahentes habitant.
- 12 Parochus debet admonere de futuro Matrimonio.
- 13 Parentes contrahentium sunt qui admonere debent Parochum.
- 14 Matrimonium contractum sine consensu Parentum, non est irritum.
- 15 Multum juvat, et decet consensus Parentum.
- 16 Nonnulli volunt Matrimonium sine consensu Parentum esse clandestinum.
- 17 Si non adsint Parentes, consulendi sunt Consanguinei.
- 18 Ordinarii, seu Vicarii admonendi sunt de difficultatibus obortis.
- 19 Parochi debent cognoscere an adsit aliquod impedimentum.
- 20 Impedimenta impediaentia.
- 21 Impedimenta dirimentia.
- 22 Contrahere scienter cum impedimento est peccatum mortale.
- 23 Matrimonia debent esse libera.
- 24 Matrimonia coacta tristes exitus habere solent.
- 25 Filii peccant, si contra consensum Parentum contrahant.
- 26 Parentes peccant si irrationabiliter impediunt Matrimonia filiorum.
- 27 Matrimonium inter Raptorem, et Raptam non subsistit.
- 28 Fautores Raptorum excommunicati.
- 29 Raptor tenetur dotare Raptam.
- 30 Magistratus sunt excommunicati, si vel cogunt, vel impediunt.
- 31 Sacerdos qui coactus sponso conjungit, est excommunicatus.
- 32 Parentes, qui cogunt filios nubere, sunt excommunicati.
- 33 Honestas Sacramenti intelligi debet pro dignitate, et decore.
- 34 Decus quomodo emineat in Parocho?
- 35 Quomodo emineat in contrahentibus?

- 36 Sponsa decet, ut ducatur velata ad Ecclesiam.
- 37 Paranympsi debent esse aetate proveci.
- 38 Sponsi mutantes vestem debent bene considerari.
- 39 Quot anni in Viro, et Muliere requirantur pro nubendo?
- 40 Parochus debet facere inquisitionem de annis.
- 41 Ad hunc finem praecipue scribitur Liber Baptizatorum.
- 42 Episcopus potest dispensare super aetate in Matrimonio.
- 43 Minores possunt contrahere cum dispensatione.
- 44 Sponsi debent esse instructi in Rudimentis Fidei.
- 45 Sponsi debent esse Baptizati.
- 46 Si difficile sit habere fidem Baptismi, baptizentur private.
- 47 Denunciatio tertia non facienda, nisi sponsi sciant rudimenta Fidei.
- 48 Per longum tempus non sunt detinendi sine Matrimonio.
- 49 Ignorantibus Matrimonium prohiberi non potest.
- 50 Matrimonium inter ignorantes Fidei rudimenta est potius Brutalitas.
- 51 Parochus habere debet notitiam Scriptorum de Sacramento Matrimonii.
- 52 Impedimenta matrimonii non sunt nova in Ecclesia.
- 53 Parochus debet esse instructus in Concilio Tridentino.
- 54 Parochus non servans ordinem concilii Tridentini graviter peccat.
- 55 Item si Contrahentes ob ejus negligentiam peccarent.
- 56 Rapina est impedimentum dirimens.
- 57 Clandestinum Matrimonium quid sit?
- 58 Clandestinum Matrimonium per sex modos celebrari potest.
- 59 Alii dicunt per tres modos.
- 60 Communior sententia est, quod duo sint modi.
- 61 Clandestina Matrimonia ante Concilium Tridentinum valebant.
- 62 Causae cur prohibita sint Matrimonia Clandestina.
- 63 Parochi praesentia est necessaria in Matrimonio.
- 64 Substituto a Parocho debet dari facultas specificae pro Matrimonio.
- 65 *Barbosa* scripsit de Potestate Episcopi.
- 66 In hoc opere amplissime tractatur materia Matrimonii.
- 67 Ecclesia Parochialis pro Matrimonio est ad libitum contrahentium.
- 68 Parochus vel Viri, vel mulieris interesse debet.
- 69 Mos est Ferrariae ut sit Ecclesia Parochialis Foeminae.
- 70 Vagi, et Peregrini bene advertendi pro Matrimonio.
- 71 Ordinarius consulendus pro vagis, et Peregrinis.
- 72 Licentia Episcopi servanda, et custodienda in libro Matrimoniorum.
- 73 Quilibet Parochus assistere valet Matrimonio Vagorum.
- 74 Testes pro statu libero debent examinari coram Vicario.
- 75 Ista forma potest praetermitti in periculo mortis contrahentium.
- 76 Si periculum cesset, examinandi sunt coram Vicario.
- 77 Pro his qui nullibi habent domicilium, debet haberi recursus ad Sacram Congregationem Inquisitionis in Urbe.
- 78 Quale dicatur tempus notabile absentiae?
- 79 Regulariter est quinque, vel sex mensium.
- 80 Parochi in his Matrimoniis non procedant, nisi habito folio dispensationis.
- 81 Parochus graviter peccaret si absque licentia Vagis assisteret.
- 82 Formula, *Constito tibi de libertate*.
- 83 Libertas contrahentium debet constare evidenter.
- 84 Articuli dubii discutiendi sunt ab Ordinario.
- 85 Episcopus in arduis remittere solet ad S. C. Inquisitionis.
- 86 Episcopi abstinere solent in causis gravibus a ferenda sententia.
- 87 Milites conjunguntur a Capellano exercitus.
- 88 Ista Matrimonia valent ubi Conc. Trid. publicatum non fuit.
- 89 Resolutiones variae circa Matrimonia militum.
- 90 In impedimentis solus Papa dispensare potest.
- 91 Advertenda in supplicationibus in impetranda dispensatione.
- 92 Dum dispensatio expeditur, sponsi non debent cohabitare.
- 93 Littera praesentare debet ante nuptias Vicario.
- 94 Loci angustia est una ex causis dispensationes.
- 95 Ista loci angustia difficile datur.
- 96 Delegatus circa hoc praesipitanter non agat.

- 97 Dispensatio est interpretanda quatenus verba sonant.
- 98 *Anacleti* lata interpretatio super hoc.
- 99 Si dubium sit de aliquo impedimento nuptiae non jungantur.
- 100 Impedimenta occulta non revelanda a Parocho contrahentibus.
- 101 Si impedimenta nota sint Sponsis. admonendi de dispensationi impetranda.
- 102 Si impedimentum sit publicum subito Sponsi sunt separandi.
- 103 Licentia gratis danda.
- 104 Taxa Innocentiana in hoc adimplenda.

1 Alia Sacramenta praecellere Matrimonium, nullum dubium est, ut observat S. Augustinus, *de Bono Conjugii*, c. 18. et alii allegati ab Ursaya, *T. 1. p. 2. d. 1. a n. 160.* ubi pro illius praecellentia considerat Institutionem, Tempus, Locum, et Bona ab ipso profluentia.

2 De hoc Sacramento multi Doctores magistrali calamo pertractarunt, integra, et quidem non exigua Volumina perscribendo. Intentio vero operis nostri cum non adeo vasta sit, ut de quibuscumque casibus in Matrimonio occurrentibus pertractare audeat, ad ea tantum, quae in Rubricis Ritualis Romani adnotata sunt, se conferet, et pro majori, et fundata Doctrina, Parochum, et Lectorem ad fundatos Doctores remittet, nempe ad Sanchez, ad Perez, ad Ponze, ad Coninck, ad Gutierrez, et ad similes naturae Theologos, qui de Matrimonio ex professo scripserunt; quorum satis amplam enumerationem facit Barbos. *de Pot. Episc. p. 2. allegat. 32. n. 207.* Ad Rubricas nostras itaque me convertam.

§. I. Parochus admonitus de aliquo Matrimonio in sua Parochia contrahendo, primum cognoscat ex his, ad quos spectat, qui et quales sint, qui Matrimonium contrahere volunt: An inter eos sit aliquod canonicum impedimentum: Utrum sponte, et libere, et secundum honestatem Sacramenti velint contrahere: Utrum sint aetate legitima; ut Vir saltem quatuordecim, mulier vero duodecim annos expleverit, et uterque sciat rudimenta Fidei, cum ea deinde Filios suos docere debeant.

3 4 5 6 De jure Minister Matrimonii est Parochus, sive Viri, sive mulieres contrahentium, ut in §. 5. hujus Tituli dicemus. Dixi Minister, lato tamen modo, quia proprie Ministri hujus Sacramenti sunt ipsi contrahentes: Parochus vero est Authorizator, et Testis hujus contractus, ex Bellarmin. *l. 1. de Matrimon. cap. 9.* Potest item esse, cum ejus, vel Episcopi facultate, alius Sacerdos, qui adhibeat solemnitates Eccle-

siae consuetas, tam in jungendis, quam in benedicendis Sponsis. Matrimonium enim sine proprio Parocho, et Testibus appellatur Clandestinum, estque ipso jure nullum, Concil. Trident. *Sess. 7. de Sacramentis in gen. sess. 24. can. 1.* ubi quoque docetur.

7 Matrimonium esse verum Sacramentum novae legis a Christo Domino institutum, unde colligi potest, Matrimonium ante Adventum Christi non fuisse verum Sacramentum gratiam conferens, Fulien. *Th. Sacramental. lib. 4. c. 4. Resol. 2.*

8 Hoc stante, quaerunt nonnulli, utrum data urgente necessitate, possit Matrimonium absque Parochi praesentia, vel alias non servata forma Concilii, celebrari? Et respondendum est cum Barbos. *d. p. 2. cap. 21. n. 31.* non obstantibus opinionibus in contrarium, non posse, neque valide, neque licite hoc Matrimonium celebrari, quia licet lex Ecclesiastica in extrema necessitate, non obliget cum tanto rigore, ut aliquando ei contravenire non liceat; nihilominus dum agitur de essentiali forma Sacramenti, necessitas non excusat ab invaliditate Matrimonii, non tam ratione legis Ecclesiasticae, quam legis naturalis, et Divinae ibi inclusae, quae prohibet omnem accessum ad non suam uxorem: eo enim ipso quod Ecclesiam inhabilitat materiam, idest Personas aliter contrahentes, daretur accessus ad non suam, contra praeceptum Divinum.

9 Porro alia circa hanc Parochi necessitatem notanda sunt. Et primo: Matrimonium contractum coram Parocho illius loci, ubi contrahentes reperiuntur, non animo ibi domicilium constituendi, sed recreationis gratia, non valere. Ita S. C. Concil. *allegat a Nicolio, Garzia de Benef. p. 5. c. 7. n. 11. ad 4. ex Barbos. d. cap. 21. num. 37.*

10 Secundo Parochum ruralem non esse proprium Parochum, quando Rus, vel recreationis causa habitatur, vel ad paucos tantum dies incolitur, non autem pro majori anni parte. Navarr. *Cons. 7. u. 2.* Barbos. *dict. n. 42.* ubi etiam alia notabilia, et scitu necessaria a Parocho legi possunt.

11 Demum dicam, quod Parochus proprius ad Matrimonium coram illo contrahendum, dicitur ille, in cujus Parochia contrahentes domicilium habent, vel cui principales incumbit cura Animarum, Barbos. *d. l. nu. 34.* qui Parochus praestare debet consensum suum, Melchior Can. *loc. Theol. l. 8. c. 5.*

12 13 De Matrimonio contrahendo debet Parochus admoneri non per modum discursus, et obiter, sed apposite, et ad hunc praecise finem, ut admonitus dici possit, nec negare valeat. Haec itaque admonitio non debet illi pervenire ad aures per rumorem, seu vociferationem Populi, qui ut plurimum mendax est: sed debet illi innotescere rationabiliter, et per Personas necessarias, ut per Parentes contrahere volentium, seu per affines, seu per Dominos, sive demum per ipsos

contrahere volentes. Ideo optime notat Barbosa. *l. c. num. 1.* quod non simpliciter debeat Parochus moneri, sed certior fieri, et ista certioratio debet mature haberi ad evitanda scandala, quae possent oriri in hac materia: nec enim ipse est, qui quaerere hoc debeat, sed ad eum debent habere recursum qui hoc revelare volunt.

14 15 16 Habita hac admonitione, Parochus multa inquirere debet ab iis, ad quos spectat, purusquam ad Matrimonium deveniatur. Praecipue ii apud quos facienda est ista inquisitio, sunt Parentes contrahere volentium. Et ad hoc praesertim attendenda est Doctrina laudati Barbosa *loco citat.* Quamvis enim Matrimonia a filiis familias contracta sine consensu Parentum, vel illis insciis, minime irrita sint, vel irrita fieri nequeant, dummodo libero contrahentium consensu facta sint: Juxta Concil Trident. *Sess. 24. de Reform.* et Sanchez *de Matr. disp. 14. n. 4.* Attamen non solum honestissimum, sed necessarium puto, et rationi maxime consentaneum ut Filii-familias in re tanti momenti, a concilio Parentum non discedant: et miror, quod nusquam in Ecclesia Dei, vel per Decretum, vel per Constitutionem, vel per Canonem, vel demum per aliam rigorosam legem, hoc nunquam fuerit sancitum: nempe quod Filii-familias non possint contrahere Matrimonium, dissentientibus, vel insciis Parentibus. Certe non defuit qui acri, sed laude digno stylo contra hunc abusum se invexerit, fuitque Alexander Politi Florentinus Cl. Reg. Scholarum piar qui anno 1712. librum evulgavit inscriptum *de Patria in Testamentis condendis potestate*, ubi late per leges Romanas nullum et injustum probat Matrimonium Parentibus dissentientibus rationabiliter. Rara, et Phoenice rariora enim sunt hujusmodi Matrimonia, quae ad laetum finem perveniant, et Divina Benedictione foveantur: Et quidem non desunt Authores, qui inter Clandestina Matrimonia enumerent illa, quae fiunt absque Consanguineorum notitia, quae est solemnitas requisita *a c. aliter 30. q. 5.* apud Sanchez *de Matrim. T. 2. lib. 3. disput. 1. n. 2.* Sed haec opinio nimis rigorosa est, et non amplectenda.

17 18 Si non adsint Parentes, erunt consulendi propinquiore, Consanguinei, et Affines: quod si quid difficultatis comperient, non nisi laudabile erit admonere Episcopos, et Vicarios, ac etiam Principes saeculares, qui autoritatis imperio obstare studebunt huic tam deplorandae deformitati.

19 Cognito de essentia, qualitate, et natura contrahere volentium, debet Parochus, quantum in se est, cognoscere, an aliquod impedimentum obstet, quin hoc Matrimonium contrahi possit.

De impedimentis Matrimonii, omnes Theologi, et Canonistae diffuse pertractarunt: Ego illa tantum enumerabo, sed

doctrinas, et difficultates super his praetermittam, cum facile apud Scriptores de Matrimonio inveniri possint.

20 Alia sunt impedimenta impediencia, alia vero impedimenta dirimentia. Impedimenta sunt duodecim, nempe: *Ecclesiae vetitum: Tempus feriatum: Votum simplex castitatis. Sponsalia valida: susceptio alicujus in Catechismo: Incestus: Raptus alienae Sponsae: Occiso propriae Conjugis: Injusta occisio Presbyteri: susceptio propriae Proles: Publicae Poenitentiae: Matrimonium attentatum cum Moniali.*

Ex his duodecim Impedimentis impediencia, quatuor prima tantum persistunt in viridi observantia: Alia videntur abolita consuetudine contraria, Polman. *Breviar. Theol. p. 3. n. 408.* Atque haec impedimenta impediunt Matrimonium contrahendum, sed non invalidant contractum.

21 Impedimenta vero Matrimonium dirimentia sunt quatuordecim, et enumerantur in istis vulgatissimis versibus apud Sanch. *de Matrim. lib. 7. d. 6. n. 3.*

*Error conditio, Votum, Cognatio, Crimen,  
Cultus disparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honestas;  
Si sis affinis, si forte coire nequibus,  
Si Parochi, et duplicis desit praesentia Testis,  
Raptave sit mulier, nec parti reddita tutae,  
Haec facienda vetant connubia, facta retractant.*

22 Ab Explicatione horum Impedimentorum, prout superius dixi, me abstineo, quia meum non est hic ex professo hanc materiam tractare: Unice tantum dicam, ex communi Theologorum sententia, quod scienter contrahere Matrimonium cum impedimento vere impediencia, aut dirimente ex parte sua, vel complicitis, est peccatum mortale, quia est in re gravi contra obedientiam Ecclesiae, et reverentiam Sacramento debitam.

23 24 25 26 Prima exploratio Parochi debet esse circa libertatem contrahere volentium. De jure enim est, ut Matrimonia sint libera; *c. Gemma 27. de sponsalib. ubi Gloss. verb. libera.* Et de jure civili, *in l. filia, 124. ff. de verbor. obligat.* quoniam coacta Matrimonia tristes semper causare solent exitus. Superius nonnulla dixi de consensu Parentum contrahentium: modo alia superaddenda duco. Ex Sacerd. Brixinen. *de Sac. matrim. dist. 8. c. 2. nu. 96.* Et primo. Matrimonia ita libera esse debent (quod valorem) ut nec Parentum consensus requiratur, si filii eorum iniri Matrimonium velint. Peccant vero graviter filii, quando sine juxta, et rationabili causa, Parentibus insciis, inconsultis, et renuentibus Matrimonia contrahunt: imo et ipsi Parentes, si Matrimonia Liberos irrationabiliter impediunt, Dixi irrationabiliter, quia cum ratione possunt ea impedire: Nec res nova est, neque sacrilegii cri-

men involvit (utar verbis Ursayae *disc. Eccl. t. 2. p. 1. d. 21. num. 154, 155.*) in his terminis Filiorum carcerationem procurare, ut probat Pignalell. *c. 4. cons. 11, per tot.* et alii: Caeterum non desunt Authores, et rationes, a quibus dispensantur filii ab obedientia Parentum in casu Matrimonii. Videndus ex gratia d. Ursaya *d. l. a. n. 234.*

27 28 29 Secundo inter Raptorem, et Raptam, quandiu ipsa in potestate Raptoris manserit, nullum potest subsistere Matrimonium. Ac licet Rapta, a Raptoe separata, et in loco tuto, ac libere constituta, illum in virum habere consentiat, nihilominus Raptor ipse, et omnes consilium, auxilium, ac favorem ei praebentes sunt ipso jure excommunicati, perpetuo infames, omnium dignitatum incapaces, et si Clerici fuerint, de proprio gradu decidunt, tenenturque Raptor Raptam, licet eam non ducat, arbitrio Judicis dotare.

30 31 32 33 34 35 36 37 38 Tertio omnes temporales Domini, ac Magistratus, cujuscumque dignitatis, gradus, et conditionis existant, ipso facto anathematis poenam incurrun, si quovis modo directe, vel indirecte, quoscumque cogant, quominus libere matrimonia contrahant; Conc. Trid. *sess. 24. de Reform. matrim. cap. 1. 6. et 9.* Sacerdos etiam, qui coactas Nuptias conjugere praesumpserit, ipso facto suspensus a Beneficio, et Officio existit. Parentes vero, qui Liberos proprios, aut alii etiam Principes subditos suos, ubi, et quomodo nolebant, contrahere coegerint, anathematis poena coercentur. Ita Conc. Trid. *sess. 24. cap. 9. Honestas quoque servanda est in hoc Sacramento.* Haec Honestas hoc loco debet intelligi pro dignitate, et docere, adeo ut hoc Sacramentum sine decore, et reprehensione, vel turpitudine ministretur, quod fit, si in Ecclesia cum debita solemnitate a Rituali praescripta celebratur. Istud decus, seu ista dignitas in Parocho non minus, quam in contrahentibus elucere debet. In Parocho, si fiat loco, tempore, ministris, et vestibus praescriptis: In contrahentibus si accidant placide, et non tumultuose, humiles, et compositi, ut Sacramentum decet; circa quod id notandum est, quod monet S. Carolus in *Act. Mediol. Eccl. p. 4. de Parochi diligentia in denunciationibus, aliisque, etc.* nempe quod Sponsa deducatur velata, tum ob decentiam, Apostolique praeceptum, tum ob significationem subjectionibus erga Virum: Rebecca etiam exemplo, quae ut sponsum conspexit, pallio caput velavit; *Gen. 24.* Pariter quod ii, qui ad Ecclesiam sponso deducturi sunt (Paranyphi vocantur) sint aetate proventi, et merum gravitate praediti, ac plerumque eorum Propinqui, et Parentes. Quod si Vestes Contrahentium essent mutatae, adeo ut omnino alii apparerent, tunc advertere debet Parochus, ut caute se gerat, nec consensum praecipitet; donec illos perfecte cognoverit, Ursaya *T. 1. part. 2. d. 1. per totum.*

39 Aetas insuper contrahentium consideranda est a Parocho; ex ipso Rituali habemus assignationem, et explicationem aetatis requisitae ad nubendum, tum in viro, tum in Muliere: nempe annorum 14. in primo, et 12. in secunda.

40 41 Super qua aetate facienda est diligens inquisitio, nec stare debet Parochus (nisi aliter aspectus contrahentium demonstrat) attestationibus Parentum, sed authenticum extractum (si fieri potest) videre debet ex libris Baptismalibus: ad hunc enim finem, inter alios praecipitur Curatis, ut scribant Baptizatos suae Paroeciae, ut suo loco dicemus, tunc cum de hujusmodi Libro tractabimus, *c. Attestationes, c. ex litteris, de despons. impub.* Barbosa *de Offic. et potest. Episc. p. 2. alleg. 13. n. 176.*

42 43 Ista aetas a Sacris Canonibus completa definitur, eo quia tunc praesumitur uterque sponsorum habitis ad consensum, et ad copulam conjugalem, ut apparet ex *cap. puberes, eodem tit. Sanchez de Matrim. l. 7. disp. 104. n. 1. ubi n. 2.* subdit, satis esse si ultima dies anni duodecimi in Foemina, et decimi quarti in Viro sit inchoata. Verum quando Jus praescribit alicui actioni certam aetatem, requirit completam, *Coinck d. p. de Spons. d. 21. dub. 4. num. 15. et 51.* sed non per hoc est, quod super hac aetatem dispensari non possit, nam cum dispensatione Episcopi, possunt minores contrahere Matrimonium, si habeant usum rationis, seu malitiam, quae aetatem suppleat, *Barbos. de Pot. Parochi, p. 2. c. 21. n. 5.* cum variis Doctoribus

44 Quoad Rudimenta Fidei praescripta, et praesignata a Rituali prout necessaria in contrahentibus Matrimonium: certum est quod si filios educare, et docere debent Parentes in rebus ad Fidem pertinentibus, opus est ut per prius istae illis innotescant: quapropter praemitto primo.

45 46 Per januam Sacramentorum, nempe Baptismum, debere Sponsis jam patuisse aditum in Ecclesiam, scilicet debere esse utrosque baptizatos, ut Sacramento Matrimonii fruantur. Quod si difficiliter constare posset de Baptismo alterutrius, ob v. gr. distantiam loci, vel incendium librorum, vel ob aliam causam, tunc noviter, saltem sub conditione, secreto tamen, baptizandos esse judicarem, juxta Decretum *S. Congr. Concil. 1. Septe. 1714.* quae dubio consimili respondit in una *Neopolitana Matrimonii:* *Attenta difficultate inveniendi Fidem Baptismi: Mulierem esse baptizandam sub conditione, et secreto; deinde procedi posse ad contractum Matrimonii, serv. ex Ursaya, t. 2. p. 1. d. 10. n. 68.* neque haec dici potest iteratio Baptismi, quia non dicitur iteratum quod ambigitur esse factum, *Innoc. III. cap. Veniens, de Presbyt. non baptiz.*

47 48 49 50 Cognito de Baptismo, inquiri debent con-  
Com.—P. 26.

trahentes, an calleant rudimenta Fidei, praecipue in locis ruralibus. In hac materia docet Barbosa *d. n. 3.* quod si uterque Sponsorum ignoret Orationem Dominicalem, Salutationem Angelicam, et Symbolum Fidei, Parochus moneat illos, se non ante ad denunciationem tertiam venturum, quam illa ab ipsis recte memoriae teneri, et recitari, intelligi que perspexerit. Absolute tamen, et per longum tempus, aut ubi Sponsi instarent, non licet Matrimonium detinere donec dictam Christianam Doctrinam contrahentes didicerint: sed expedit, suaviter, et absque violentia ad breve tempus impedire, ut sic Doctrinae addiscendae curam habeant. Ita Sanchez *de Matrim. l. 3. disp. 15. num. 19.* Ricci *Praxi for. eccl. dec. 683. seu 576.* et alii DD. apud Barbos. *loco citato.* Quare *S. C. Episc. et Reg. 6. Martii 1588.* censuit, Matrimonium prohiberi non posse Christianam Doctrinam non addiscentibus, sed contra eos admonitionibus comminatoriis esse procedendum, contra Ledesmam *de Matrim. l. 11.* et Vega *in Summ. l. 3. cas. 211.* existimantes absolute impediri posse ob dictam causam, ne Matrimonium contrahatur, nisi contrahentes prae senio, aut ingenii rudis tarditate, prorsus incapaces sint. Quae regula utique servanda est laudabiliter a Parochis etiam sine exceptione vel senii, vel ruditatis: nam Matrimonium inire cum omnimoda ignorantia Doctrinae Christianae, potius brutalitatis, quam Sacramenti speciem gereret; dixi, omnimoda ignorantia, quia in scientia potest dari magis, et minus: Si enim aliquo modo instructi essent isti contrahentes, tunc valeret admonitio adducta a Barbosa, ad hoc ut aliquid amplius addiscerent, si fieri posset. Monitio enim *S. Caroli, Act. p. 4.* est clarissima, nec admittit limitationem, dum dicit Parochus—*ne Matrimonio jungat eos, qui Rudimenta Doctrinae Christianae ignorant.*

§. II. Noverit ex probatis Auctoribus, quae sint Canonica impedimenta Matrimonii contrahendi, et quae contractum dirimant: et qui sint gradus consanguinitatis, et affinitatis; et item cognationis Spiritualis ex Baptismi, vel Confirmationis Sacramento contractae.

51 Praeter probatos, et Classicos Doctores, qui de Matrimonio ex professo agunt, quorum mentio, et enumeratio fit per Barbos. *de Pot. Episc. p. 2. alleg. 32. n. 207.* aliorum etiam recentiorum habere debet Parochus notitiam, qui post Barbosam scripsere de hac materia, et praecipue Anacleti, Busembau, et super eo de la Croix, Potestatis, Layman et aliorum, quorum Doctrina in Scholis, et Congregationibus Theologiae moralis

palam sonat: atque haec notitia non debet esse superficialis, sed fundamentalis, ut facilius in casibus occurrentibus possit prudenter non solum, sed juste discernere, et se abstinere a mala Sacramenti administratione.

52 Caeterum, quoad Impedimenta tum impediencia, tum dirimentia Matrimonium, haec non sunt nova in Ecclesia Catholica. Vide Casal. *de Vet. Rit. Christ. p. 2. cap. 31.* et inveniuntur ex Concilio Nicaeno, ex Synodo Trullensi, ex S. Callixto Papa, ex S. Fabiano, ex S. Gregorio, Isidoro, Concilio Lugdunensi, Innocentio III. atque ex aliis, tum Patribus, tum Conciliis, tum Doctoribus, quod antiquitus impediabantur Matrimonia ob multas causas, sed praecipue per cognationem naturalem, legalem, et spirituales, de quibus meum non est in hoc loco facere enumerationem.

§. III. Habeat in primis ipse bene cognita praecepta illa omnia, quae in Matrimoniis rite conficiendis servari oportere, Sacri Canonibus, et praecipue Sancta Synodus Tridentina jussit, dabitque operam, ut illa in Parochia sua accurate exacteque serventur.

53 In Sacrosancto Concilio Tridentino, oportet etiam, ut Parochus sit bene instructus, nam in illo quaecumque ad Matrimonium faciunt, adamussim, et magna diligentia descripta sunt: adeo ut impossibile sit, quod Parochus in errorem incidat circa hoc, si bene advertat quod in eo scriptum est Spiritu S. dictante.

54 Quod si parochus extra praescripta a Concilio Tridentino, assistat, alicui Matrimonio, nec ordinem servet in illo statutum, graviter peccat, et servitius erit ab Ordinario puniendus, Chamer. *d. 17. notab. 1.* Ledesma *qu. 45. a. 5.* Barbos. *de potest. Parochi, p. 2. c. 21. num. 26. et de potest. Episc. p. 2. alleg. 32. per totum.* Item peccabit, si ob ejus negligentiam, contrahentes non servabunt a Sacris Canonibus praescripta. Estque ita intelligendus hic Textus, quando dicit, quod Parochus det operam, ut praescripta per Canones, et Conc. Trident. accurate serventur. Sit pro casu: Si parochus neglexerit advertere Contrahentes cohabitare, seu copulari non posse, etiam si Matrimonium contractum sit per verba praesenti, nisi prius expletae sint denunciations: tunc peccatum istud negligentiae illi tribueretur. Berton. *de Neglig. P. 2. art. 32. per totum.*